



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Bonaldi Societatis Iesv Theologi, Divina  
Ecclesiae Oeconomia**

**Bonald, François**

**Coloniae, 1611**

XVI. De dignitate Virtutum Theologicarum ac imprimis fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48916)



ost facti  
 sis narib  
 od adm  
 , cur po  
 quam ca  
 retu? P  
 n for me  
 a pecca  
 o, & A  
 peius o  
 n reddu  
 ab ijs pe  
 is infect  
 ore odor  
 ue orna  
 illud s  
 estu sep  
 ent ho  
 plena  
 itia.  
 vnde  
 pro cur  
 , & arg  
 dum a  
 iritur  
 mur, an  
 igitur  
 mento  
 pra-

præparemus, ijsdemq; modis conser-  
 uatur, & ijsdem augetur: Absit autem  
 ut hæc media negligamus, sed sæpius  
 ea frequentemus, ut gratiam adepti  
 virtutes quoque, quæ eam comitan-  
 tur, cum spiritali lætitia, ac pulchri-  
 tudine animæ, ex his omnibus resul-  
 tante consequamur.

## CAPVT DECIMVM SEXTVM.

*De dignitate Virtutum Theologi-  
 carum ac imprimis  
 fidei.*

**C**VM Deus hominem ad imaginē *Genes. 2.*  
 & similitudinem suam crearet, a-  
 nimam libero arbitrio, & tribus po-  
 tentijs, seu facultatibus; memoria sci-  
 licet, intellectu, & voluntate præditā  
 ei indidit; Quæ quidem potentix na-  
 turaliter perfectæ erant, & cum nul-  
 lum haberent impedimentum absque  
 vlla difficultate ad actum suum pro-  
 cedere poterant: Quamuis non dicam  
 eas tantæ perfectionis fuisse, quin ali-  
 arum qualitatum accessione augeri  
 potuerint; nēpe ab illis dispositioni-  
 bus, seu habitibus, qui virtutes mora-  
 les ap-



*Deus ho-  
mini ad  
salutem  
necessaria  
largitur.*

les appellatur; earū. n. propriū est  
tētas ad suas operatiōes facile, cō-  
ter, & delectabiliter perficiendas  
bilitate. Verū cum vtraq; hæc, rī-  
tentia, quam virtutum moralium  
bitus, naturalia sint, naturæ lim-  
non egrediuntur; atque adeò deo  
erat hominem, quem in supernatur-  
lem finem diuina Sapiētia desti-  
rat, proportionatis medijs exornat.  
Gratiam itaque ei communicauit  
fini supernaturali dignus redderet.  
Cum autem hic finis operibus, p-  
quam naturalibus, promerendus  
set, vltērius habitus ac virtutes sup-  
naturales necessaria fuerūt: Dū igitur  
Deus homini gratiā indidit, firmiter  
virtutes supernaturales infudit; scilicet  
fidē, Spē, & charitatē, quæ eū ad  
mū bonum erigerent: Prudentiam, Cor-  
rō, Iustitiam, fortitudinem, & Temperantiam,  
ratiā, cum Spiritus sancti donis, scilicet  
eius actiones, & media ad finem suum  
obtinendum necessaria, dirigerent.  
Quod equidem beneficium maximū  
& cōsolationis plenissimū est, vbi  
niter per singula discurrendo patebit.

Ac in primis de fide. Suppono



tem cum Philosophis, Nihil in incog. *De fide.*  
 nitum ferri, nam *Ignoti nulla cupido*: o-  
 portere scopum prius videre, antequā  
 in eum collimes; necesse esse prius fi-  
 nem cognoscere priusquam in eum  
 media dirigas, quæ quidem supposi-  
 tio ad eum evidens est, vt probatione  
 non indigeat. Cum itaque finis homi-  
 nis totus supernaturalis sit, & intelle-  
 ctum humanum superet, nisi aliquo  
 supernaturali lumine illustretur in-  
 tellectus, & obiecto supernaturali  
 proportionetur; non solum utilis, ve-  
 rum etiam necessaria fuit homini ali-  
 qua supernaturalis cognitio; ideoque  
 cum Deus in necessarijs non deficiat,  
 donum fidei ei communicavit. Est au-  
 tem fides virtus quædam Dei donum,  
 ac lumen coeleste, quo illustratus ho-  
 mo, firmiter assentitur omnibus ijs,  
 quæ Deus, aut per seipsum, aut per suā  
 Ecclesiam credenda proponit. Huius  
 virtutis ea est dignitas, excellentia, &  
 necessitas, quam neque Patres, neque  
 Scripturæ dignè exprimere queant:  
 Ait Apostolus: *Sine fide impossibile est*  
*placere Deo; & Christus: Qui non credi-*  
*derit condemnabitur; Fides enim, vt in-*

*Hebr. 11.*  
*Marc. 16.*



*Euseb. E-* quit Euseb. Emiffen. est origo iustit  
*missen.* initium sanctitatis, principium deu  
*Hic. 2.* tionis, & fundamentum salutis aet  
*de Symb.* na: Quicumque hanc deserit, ut pri  
 prius celebri malesanum ductum  
 quatur: qui absque hac diuina my  
 ria sua solummodo sapiētia penet  
 turum praesumit, similis est illi, q  
 omisso fundamento aedificare; at  
 praeterito ostio per tectum intrare n  
 titur; aut qui in tenebris ambulans in  
 praecipitium se agit occlusis volun  
 tariē oculis, qui ei ducatum praestare  
 potuissent: Christus autem veniens in  
 hunc mundum, ut errantes viam salu  
 tis doceret, fidem nobis dedit, qua De  
 um incognitum hactenus cognosce  
 tes inquireremus, & inuento fide  
 haberemus; fidem autem habentes ip  
 sum tandem obtineremus. Similia de  
 fide habent Cyrill. Hieros. & alij, quae  
 ab alijs, & se ipso alibi fuisse dicta, in v  
 num paucis complectitur. August. dū  
 ait, *Fides est bonorum omnium funda*  
*mentum, fides est humana salutis initium.*  
*Sine hac nemo ad filiorum Dei consortiū*  
*potest peruenire, quia sine ipsa, nec in hoc*  
*saeculo quisquam exequitur iustificatio*  
*nis*

*Cyrill. Ca*  
*tech. 5.*

*August.*  
*Serm. 38.*  
*de Temp.*



nigratiam, nec in futuro vitam possidebit aeternam: Si quis hic non ambulauerit per fidem, non perueniet ad speciem beatæ visionis Domini nostri Iesu Christi. Hæc Augustinus.

Quomodo autem fides in vitæ huius peregrinatione ducatum præstet, ex varijs figuris intelligimus; Legimus enim in veteri Testamento quomodo Deus populum Israeliticum de nocte in colūna ignis præcesserit, atq; in Palæstinâ vsq; vbi quietæ sedes, & dulcis requies, ijs promissa grant, deduxerit. Stella Magos ad Christum mortalem adhuc, & passurum ab oriente inde pertrahebat, vt quem prius non nouerant, noscere incipientes mysticis muneribus honorarēt, adorarētq;.

Stella hæc, & columna illa virtutem fidei præfigurabant; hæc enim spiritualiter hominis menti præstat, quod illa corporeis oculis exhibuerūt. Columna illa ignea Israelitarum in medijs noctis tenebris, eorum oculos illuminabat, & in terrenâ aliquâ regione deducebat: Fides hæc nobis in tenebris gentilitatis, & regione vmbre mortis sedētibus mentis oculū suo lumine

Figura fidei.

Exod. 13.

Matt. 2.



mine illustrat & in cęlestę patriã  
 ducit. Stella ista Magos ad Christi  
 cunabula veneranda eliciebat; Fi  
 nostra ad omnia vitę, passionis, ac  
 mortis glorię mysteria honorat  
 inuitat. Ex quibus facilę colligas,  
 fit vtilitas fidei, & quã necessarios  
 ni homini fructus proferat: Qu  
 nim quã so est esse fidelę, si nõ clar  
 & perspicacem in rebus diuinis,  
 supernaturalibus obtutũ habere?  
 quid aliud est esse Infidelem, quam  
 eiusmodi cęcum agere?

D. Augustinus inter omnes genti  
 um Philosophos Platoni, cum su  
 primas defert, eò quod cęteris me  
 us, ac pressius de Deo scripserit: om  
 tamen eosdem cęcos fuisse ait: cum  
 nim Deũ cognouissent, decetę hono  
 ei nõ exhibuerũt; sed in alios grauiss  
 mos, tã speculatiuos, quam practic  
 errores prolapsi sunt; Testatur hoc  
 Paulus dicens, *Qui cũ cognouissent Deũ*  
*non sicut Deũ glorificauerunt, aut gra*  
*tias egerunt; sed euauerunt in cogitac*  
*ombus suis, & obscuratum est cor inspic*  
*eorũ. Dicetes enim se esse sapientes stul*  
*tifacti sũt, & mutauerunt gloriã incor*  
 rupti-



ruptibilis Dei in similitudinem imaginis  
 corruptibilis hominis, & volucrum, &  
 quadrupedum, & serpentium. Quid hoc  
 testimonio certi? quid his verbis eui-  
 dentius? Maioris tamen certitudinis  
 gratia, ipsum gentilem audiamus, &  
 inueniemus similia omnia de suis cō-  
 fitentem. Cicero in libris de Diuina  
 tione introducit Q. Lucilium Balbum  
 Stoicæ disciplinæ callentissimum ad-  
 uersus simulachrorum institutionem,  
 & fabulosas opiniones ita stomachā-  
 tem, Videtisne igitur, ut rebus physicis be-  
 nē, & utiliter inuentis ratio sit tracta ad  
 commentitios & fictos Deos? Quæ res ge-  
 nuit falsas opiniones, erroresque turbu-  
 lentos, & superstitiones penē aniles. Et  
 formæ enim Deorum & ætates; & vesti-  
 tus ornatusque nobis noti sunt: Genera  
 præterea, coniugia, cognationes, omniaq;  
 traducta ad similitudinem imbecillitatis  
 humana, nam & perturbatis animis in-  
 ducuntur. Accepimus enim Deorum cupi-  
 ditates, agritudines, iracundias: Nec ve-  
 rō ut fabula ferunt, Dii bello præliisque  
 caruerunt: Nec solum, ut apud Homerū,  
 cum duos exercitus contrarios alij dii ex  
 alia parte defendere: sed etiam ut cum

Cicer. lib.  
 2. de Na-  
 ra Deor.  
 Aug. li. 4.  
 de ciuit. &  
 30.

1 5

Titanis



Titanis aut cum Gygantibus sua propria  
 bella gesserunt. Hac & dicuntur & cre-  
 duntur stultissimè, & plena sunt vanita-  
 tis summaque leuitatis. Huc vsque ver-  
 ba Cicéronis sub emmentita Balbi pe-  
 sona fabulosas sui xui superstitione  
 indignatis: Quam verò putatis ei Mo-  
 machum commouissent impura illa  
 humani seminis sacrificia Molochi  
 fieri solita? quam eius iram concita-  
 sent crudelissimæ istæ, & plus quam  
 ferinæ filiorum pecudum instar à pa-  
 rentibus factæ oblationes, immolati-  
 ones? Fuit quondam tanta Gentilium  
 cæcitas, imò & Iudæorum de quibus  
 Psalmista ait, *Et commisti sunt inter gen-  
 tes, & didicerunt opera eorum, & ser-  
 uierunt sculptilibus eorum & factum est  
 illis in scandalum. Et immolauerunt filios  
 suos & filias suas demonijs*: Quodque  
 magis mirandum est, eadem cæcitas  
 etiam nunc in quibusdam Indiæ popu-  
 lis, qui fidei lumen nondum receperunt  
 perseuerat: Quorum nonnulli  
 flor. Ind. aded insanè superstitiosi sunt, ut pa-  
 Oriët. Pet. rentibus, ac liberis fame ac inedia pe-  
 reuntibus, ipsi Xenodochia ædificent,  
 in quibus infirmæ auiculæ, quas hinc  
 atque

Vide Hi-  
 stor. Ind.  
 Oriët. Pet.  
 Ior.



atque illinc maximis impensis colligunt, sedulo curentur: Alij autem obsequia suorum idolorum, tam desperatè zelant, vt post immolatas proprias proles, deficiente hostia seipfos, sua manu dijs istis infernalibus gratissimum anathema sacrificent.

Atque hæc de Gentilibus: modo de hæreticis quomodo à fide, & Religione catholica apostatâtes, seipfos excaverint, ac in profundam peccatorû abyssum præcipitauerint, videamus. Nam quod Apostatas concernit, pluris in mediû afferre possum; sed duo nobis sufficient; Iulianus, scilicet & Porphyrius; quorum hic doctrina, ille imperio notissimus est; summus enim Philosophus vnus, summus Imperator alter, vterque autem prius Christianus, quorum Porphyrius impatiëntia agitated, Iulianus superbia inflatus vt testatur Nicephorus, fidem ac religionem, quam prius coluerat, deseruit. Sed bone Deus in quos errores, & quantas impietates non abierunt? longum nimis esset singula referre, vno verbo dicâ, in eâ impietatē euasit Porphyrius, vt libros horrêdis, & execrâ-

*Execratio  
Apostata-  
rum.*

*Nicephor.  
l. 10. c. 36.*



dis blasphemijs plenos, eructant: Iulianus autem ad eam Magiam se dedit, & daemone[m] adoraret ipse, & ab alio tanquam Deus seipsum adorari affectavit. Hæreticorum verò cæcitas, tam nota est, ut cuius pateat: Quamuis enim exterius cultum unius veri Dei profiteantur, manifestè tamen ostenderet se lumine fidei spoliatos, cum diuersis, sibi que contrarijs, & aduersantibus opinionibus adhereant, semper que sint discentes, nunquam autem ad scientiam veritatis peruenientes, quos Apostolus curiosis mulierculis, & peccatis oneratis exprobrat. Fides enim est virtus, quæ hominem indifferenter ad omne id quod Deus per ecclesiam suam credendum proponit, inclinat: Cum ergo illi unum ex propositis ab Ecclesia articulis, reiecto altero, se credere dicant, manifestè se fide diuina spoliatos arguunt, ac se suo ore condemnant: Sicut enim iudicandus esset visu carere, qui unum colorem se videre asseueraret, alterum negaret, ita etiã, qui dicit se unum articulum fidei credere, & nõ alterum, fidei dono orbatus existimandus est.

Nam

2. Tim. 3.

*Pulchra  
similitudo.*

namque sicut iudicandus esset visu carere, qui unum colorem se videre asseueraret, alterum negaret, ita etiam, qui dicit se unum articulum fidei credere, & non alterum, fidei dono orbatus existimandus est.



Nam sicut visus pro totali suo obiecto  
 habet omnes colores, ita fides omnes  
 omnino veritates reuelatas: atque id-  
 eò, sicut is, qui non omnes colores vi-  
 det, visu caret; ita etiã, qui non omnes  
 veritates reuelatas credit, fide destitu-  
 itur. Omnes itaque Gentiles, Iudæi,  
 Hæretici, & à Religione Catholica  
 Apostatæ, cū fide careant, diuina my-  
 steria intelligere nequeunt; sed hoc ip-  
 sum est peculiaris Christianorū præ-  
 rogatiua: Hi enim humili mente con-  
 cipiunt, & fide intelligunt altissima  
 illa Sanctissimæ Trinitatis, & Incar-  
 nationis mysteria, quæ antiqui isti, &  
 maximi Philosophi, inflatiq; spiritus  
 homines, nūquã intelligere potuerūt.

Gaudeat itaq; Christiani & letentur,  
 Deūq; laudēt, qui intellectū eorū tam  
 diuino lumine illustrare dignatus est:  
 ac rogēt, vt illud conseruet, & augeat,  
 dicentes cū Apostolis, *Adauge nobis fi-*  
*dē*: Sicut enim solus Deus ea dat, ita  
 etiã solus eandē conseruat, & auget;  
 licet vtroque casu ipsi cooperemur.

Dicit Apostolus, *Corde creditur ad*  
*iustitiam; ore autem fit confessio ad salu-*  
*tem*. quasi dicat: Magnū quidem, mul-

Luc. 17.

Duo fidem  
 actus.

Rom. 10.

tum-



tumque est corde interius credere; nō  
tamen ad salutem hoc sufficit, se-  
cessitas aliqua Christum exterius con-  
fitendi offeratur: Qui enim fidem cor-  
de seruāt, & cū tēpus exigit ore nō cō-  
fitentur, à Domino reijcientur, nā ve-  
inquit Christus. *Qui autem negauerit*  
*me coram hominibus negabo & ego eum*  
*coram Patre meo, qui in cœlis est.* Si ita-  
que fidei augmentum desideremus, fre-  
quenter eam profiteamur, & quo fides  
maior fuerit, tanto plus luminis ac  
fortitudinis nobis tribuet; luminis, vt  
perfectius diuina mysteria perspici-  
amus; fortitudinis, vt constantius dia-  
bolicis tentationibus resistamus: Si  
autem pro augmento fidei laboran-  
dum est, certè pro conseruatione eius  
annitendum quoque erit, quātò enim  
bonum aliquod maius, meliusue est,  
tantò eius priuatio, atque absentia a-  
cerbior, ac magis nociua erit. Quid  
putas de Israelicis actū fuisse, si Dux  
eorum columna ignis disparuisset?  
nūquid non tenebrę per deserti auia  
eos disperfissen? Quid consilij cœpisse-  
sent Magi, nisi stella Ierosolyma e-  
gressis denuò apparuisset? Nūquid nō  
gau-

*Matth. 10.*

*Fides dili-  
genter cu-  
stodienda.*

*Exod. 13.*

*Matth. 2.*



gaudio, quo stellam videntes affecti sunt, caruissent? Angelus Raphael cæcum Tobiam salutans aiebat: *Gaudium tibi sit semper: cui bonus ille senex respondit, Quale gaudium mihi erit qui in tenebris sedeo. & lumen cæli non video,* quasi dicat, cæco & luminibus corporeis orbato, nullum gaudium esse potest: Si autem corporalis cæcitas lætitiā impediāt, quantò potius illud faciet excæcatio spiritualis; tolerabilius enim esset oculis corporeis, quam fidei lumine priuari: Atque hinc Dydimum cæcum Sanct. Antonius consolabatur dicens, Tristari neutiquam debes, quod exteriori visu priuatus existas, cum interiorē, quæ fides est, habeas, per quam diuina mysteria, seu mentis quodam oculo, conspiciamus. Omni ergo diligentia fidem sertam tectam conseruare oportet, & pro eiusdem conseruatione idonea remedia adhibere.

Si quæras quænam illa sint? Dico ante omnia cauendam esse curiositatē nā vt inquit Sapiē: *Scrutator Maiestatis opprimetur à gloria: & qui ad regulā rationis*

Tab. 5.

In vita S.  
Antonij.Modi fidē  
conseruandi.  
Prou. 25.



rationis humanæ diuinâ mysteria ex-  
gunt, meritum fidei, & quod peius est  
ipsam fidem, frequenter amittunt: Bo-  
ni enim Christiani est intellectum  
*2. Cor. 10.* *Captiuas in obsequium fidei, ut Paulus*  
docet; credere eum decet non dispu-  
tare; Deus veracissimus est, & mentiri  
nequit; optimus est, & neminem decipi-  
pit; omnipotens est, & plurima capti-  
uorum nostrum excedentia facit. Pythagore  
is in omni scientiarum genere Magi-  
stri sui autoritas sufficiebat; cur non  
in omni fidei negotio diuina autori-  
tas satisfaciatur? Ipsi satis erat si dice-  
res, Ipse dixit: nobis satis sit, si dicatur,  
Deus reuelauit. Primus itaque, & cer-  
tissimus fidei conseruandæ modus e-  
rit simpliciter credere, neque creden-  
dorum rationes curiosè inquirere.  
Cui alter addi potest, Scilicet non so-  
lam Infidelitatem, aut hæresim, que  
directè & formaliter fidem destruit,  
*D. Th. 2.* *2. q. 10.* *¶ 11.*  
sed etiam quoduis peccatum mortale  
cuius Christiano vitandum esse: Quâ-  
uis enim peccatum mortale formali-  
ter fidem non eliminat, frequenter  
tamen iteratum, ita eam debilitat, ut  
tandem totaliter destruat; Vnde de  
hære-

*Cōc. Trid.*  
*Sess. 6.*  
*cap. 10.*  
*D. Th. 2.*  
*2. q. 10.*  
*¶ 11.*



hæreticis dicit Apostolus, quod bonam conscientiam relinquentes circa fidem naufragauerunt. Dato tamen, quod nulla peccata præter infidelitatem, & hæresim, fidem neque formaliter, neque dispositiuè tollant; tamen illa ipsa cauenda erunt, ne fidem nostram mortificent, omnique merito euacuent: Licet enim *inustus ex fide uiuat* ut docet Apostolus: qualem tamen fidem intelligat explicat alibi dicens, *In Christo Iesu, neque circumcisio ualet aliquid, neque praputium. Sed fides, quæ per charitatem operatur*; Nam ut ex Iacobo habemus, *Sicut corpus sine spiritu mortuum est; ita & fides sine operibus mortua est.* Si itaque fidem nostram uiuam conseruare uelimus, non solum curiositas, hæresis, vel infidelitas nobis uitanda erunt, sed etiam quoduis peccatum mortale.

Supra diximus fidem esse salutis fundamentum, ac animæ lumen; Quisquis ergo hoc fundamentum demolitur, totam structuram spiritualis ædificij euertit: quisquis hoc lumen amittit, in absurdissimos errores cæcus prolabitur: Ideoque Diabolus conatur

1. Tim. 1.

Galat. 3.

Iacob. 2.

tur



tur summopere nos hoc lumine spo-  
*Iudic. 16.* liare, & spiritualiter, sicuti Philis-  
 thijm Sampsonem corporaliter, ex-  
 cæcare; adeoque Diaboli, ut sese mo-  
*Psal. 136.* tuo ad hoc facinus animent, illu-  
 Prophetæ sæpius iterant: *Exinanite,  
 exinanite usque ad fundamentum in ea,*  
 id est, ut Doctores interpretantur, vi-  
 que ad fidem.

Nos autem rugientibus, & circum-  
 euntibus leonibus, iuxta monitum  
 sancti Petri fortes in fide resistamus  
*1. Petr. 5.* *Deus autem omnis gratia modicum pas-  
 sos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.*  
 Atque aliquando nobis illam gratiã  
*1. Cor. 13.* faciet, ut eum videamus, non ut *numquam  
 per speculum in anigmate, sed facie ad fa-  
 ciem,* ut Apostolus loquitur.

CAPVT DECIMVM  
 SEPTIMVM.

*De Virtute Spei ac maximo solatio  
 quod nobis vitæ huius tem-  
 pore præstat.*

**I**ucundum est bonum aliquod quan-  
 tumuis absens mente concipere; iu-  
 cundius